

P V I S

1 6 1 8

- | | |
|---|--|
| <p>Leonardi Rittershusii Paraphrasis Psalmi XC nuptiis dicitur.</p> <p>II. Berzmani paraphrasis Psalmi 121. 91. 125. 124.</p> <p>III. Berzmani paraphrasis Psalmorum 22. 16. 09.</p> <p>IV. Berzmani paraphrasis Psalmi 08.</p> <p>I. Berzmani Epipemphion Psalmorum 91. 97.</p> <p>VI. Berzmani Psalmi 104. 0. 19.</p> <p>VII. Poletani Paraphrasis Prometei Iona.</p> <p>VIII. Munderphei paraphrasis Iona.</p> <p>IX. M. Iacobi Gregorii Iona.</p> <p>X. Joannis Fabri de Nativitate Christi.</p> <p>XI. M. Theodori de Nativitate Christi.</p> <p>XII. Waltzeri Oda de Redemptionis Opere.</p> <p>XIII. Oritii de Peccatu Christi ad Inferos.</p> <p>XIV. Pomauii Heptas simulane Resurrectionis.</p> <p>XV. Stentorii ubi impudentissimis.</p> <p>XVI. Trautmanni instructio p vero Lutherano.</p> <p>XVII. Bratorii Epistola Germaniae ad Electores.</p> <p>XVIII. Moiti ex Auma ad Christianum Pr. Abbat.</p> <p>XIX. De reb. gestis Johannis Ernesti Pr. Abbat.</p> <p>XX. Henna ab Eichen ad Maunicium Pr. Pr.</p> <p>XXI. Abrahami Cremeri ad Electore Brand.</p> <p>XXII. M. Imbingeri Statulatio in Natalem Rudolphi Principis Anhaltini.</p> <p>XXIII. Moiti in Nuptias Rudolphi Pr. Pr.</p> <p>XXIV. Berzmani Ecloga Rudolphus.</p> <p>XXV. Bromii Nuptiis ratis Rudolphi Pr.</p> <p>XXVI. Wrsini et M. Jeno Nuptiis eiusdem.</p> <p>XXVII. Parentalia Augusto Electori a D. Maiore Sabita.</p> | <p>XXVIII. Esthælii Johanni Ernesto Pr. Pr. Anhaltino v Alberto Voito dicitur.</p> <p>XXIX. Festschii in obitum Eiusdem Principis.</p> <p>XXX. Angeli ad Barone de W. Pr. Pr.</p> <p>XXXI. Memoria Damolii Diepholdii.</p> <p>XXXII. Abrahami Cremeri de promotione ad Pr. Pr.</p> <p>XXXIII. Propemptica Fyfelio et Cremeri dicitur.</p> <p>XXXIV. M. Victori, cum renunciaretq Rector.</p> <p>XXXV. Oda Sapphica in Doctores Honoratus Fyfelii &.</p> <p>XXXVI. In Magisterii Honore Joh. Cr. Pr. Pr.</p> <p>XXXVII. M. Hermannii in honorem Magisterii Copenii XX juvenum.</p> <p>XXXVIII. M. Krotii in Magisterium Haberlandi.</p> <p>XXXIX. In Magisterium Copenii</p> <p>XL. Bethmanni Herdesiani.</p> <p>XLI. Christiani Vopleri.</p> <p>XLII. Abrahami Theopoldii.</p> <p>XLIII. M. Copenii Gratiam. Tunc in Magisterium.</p> <p>XLIV. De dignitate Consulari Trevesi.</p> <p>XLV. De dignitate Notariatus Gelami.</p> <p>XLVI. Apocryphorum Politicorum Regula.</p> <p>XLVII. Nuptiis Petri a Jena.</p> <p>XLVIII. M. Pucneri.</p> <p>XLIX. M. Richardi.</p> <p>L. Wolfgangi Hanen.</p> |
|---|--|

Ec. 11



^{x1}
ENCOMIUM
SACRÆ NOCTIS,

IN QVA FILIUS DEI,
EMMANUEL NOSTER

Ἐμμανὴλ ὁ Θεός, natus est:

STUDIOSÆ JUVENTUTI
IN SCHOLA
GORLICENSI

P. P.

Ferijs natalitijs

A

M. GEORGIO THEODORO,
GORLIC.

Anno incunte c l o l o c x v i i .

OS (H) SO

GORLICI

Typis exscribebat Johannes Rhamba.

M V I R O

Sinceræ pietatis studio, probatæ integritatis
laude, nec non variis virtutum
insignibus spectatissimo

Dn. G E O R G I O B O C K;
ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS

A C D O M I N I

Dn. R U D O L P H I, P R I N C I P I S
A N H A L D I N I, C O M I T I S A S C A N I Æ,
D o m i n i S e r v e s t æ a c B e r n b u r g i, & c.
in præfecturâ Servestanâ Notario dignissi-
mo; fautori ac benefactori suo multis
modis colendo & honorando

Carmen hoc Natalitium in debitæ
gratitudinis & observantiæ

τεκμήριον

Strenæ loco

Consecrat atq; dicat, dat, donat, dedicat, offert

M. Georgius Theodorus Gork:
Scholæ patriæ Collega.



Pillyridæ Chironis equum, septumq; biformis
Centauri linquens, genitore Hyperione natus;
Thessalicas curru & fugiens rutilante sagittas,
Cornua Bistonio canentia frigore Capri,
Concretasq; simul villosa in pectore setas,
Dum rursus flammæ non recto lumine stringit:

Ecce polo revehit genialis gaudia noctis;
Gaudia perpetuis non deficientia seclis:
Quâ tu Christe DEUS, radicis amabile germen
Iesseæ, in tactâ castæ de virginis alvo,
Naturâ insuetos rerum mirante labores,
Nudus inopsq; puer natus vagitibus auras
Lustrasti, & miserum terrarum ingressus es orbem,
Atonitas inter pecudes, a sinumq; bovemq;;
Os hominis formamq; gerens & carnis amictum:
Ut stygij umbrosâ submersos fluminis undâ
E tenebris raperes, primævi & labæ parentis;
Hæredesq; poli faceres stellantis in aulâ
In tenebris positos lethi & squalentis in umbrâ,
Quisquis es ergò, Deum qui mente & voce fateris;
Quisquis es, à Christi ducis qui nomine nomen;
Adde tuas cum laude preces, & concipe vota,
Æthereum sancto celebrantia carmine patrem,
Unigenam ob nostri qui misit ab axe salutem,
Qui patris effigies, & splendor, & una voluptas,
Invictusq; Gigas, & inenarrabile Verbum:
Quem tantæ tenuêre moræ, quem secla parentum
Fatidicis cecinêre modis, quem turba piorum
Ut rorem liquido petiit descendere cælo.

Sed mihi materies metris, & cura Camænæ
Læticiæ genitrix diæ mortalibus ægris,
NOX esto, innumeris potior NOX una diebus.
Spiritus alme, sacris mulcens qui flatibus undas
Alta ferebaris vasti super æquora ponti,
Cum sua sumpfisset vix jam primordia mundus:
Cælitus affer opem, præsenſq; hæc cæpta gubernæ.
Te sine nil altum mens inchoat: incipe mecum
Admiranda sacræ mysteria pandere noctis.
Non ego cuncta meis complecti versibus opto,
Nec noctis, primâ repetens ab origine, laudes
Cantabo: (foret haud capiendo chartula) verûm
Summa sequar tenui pleçtro fastigia rerum.

O nox brumalis, quàm vox bona carminis extat!
Hęc nox nocturnæ prorsus formidinis expers
Effulſit, non horrificis horrenda tenebris
Irradiat medias cælesti luce tenebras,
Solstitio lumenq; dedit fulgentius ipſo,
Atq; piorum animas mitido transſcripſit olympo.

Inclyta nox, nox charapolo, nox aurea, SALVE:
Conſcia tu partus veræ primordia lucis,
Luce prior nox, vidisti. Te cæca vetuſtas,
Ah nimis immeritò, cæcamq; atramq; vocabat,
Illius primos ſolis quæ ſenſeris ortus,
Ipſe lubens accepta refert cui lumina Titan,
Et quæcunq; polo flammantia ſidera fulgent.

O nox ſtellarum pulcherrima mater olympi!
Tu primos teneri vagitus prima puelli,
Tu primos cæli plauſus, tu gaudia mundi
Audisti, ô felix nox! cum ſancta agmina cæli
Dulce melos Chriſti ad cunas audita ſonare,
Atq; implere ſacris tenues concentibus auras,
Et puero totus naſcenti applaudere mundus.
Tu vili impoſitum fœno, ſtabuloq; jacentem,

Cum

Cum bove cui dederant asinus præsepia cunas,
Es mirata simul, simul es miserata puellum,
Optasti Tyriæ substerni vellera lanæ
Pro fæno, & pannos solido mutarier auro,
Hospitiumq; dari pario de marmore structum,
Sarranovè thorum contactum murice & ostro.
Tu quoq; mirata es pietatem, & pectora fraudis
Nescia pastorum; cum Tityrus inde relictis
Accurrens gregibus lætus natalia Christi
Viseret, hinc iret Damætas, surgeret AEGon,
Lætiâ voces ad cæli sidera jactans:
Dum cæli monitis & clarâ voce volantum
Attoniti, properant modò natum cernere Regem,
Ingressiq; casam pueri ad præsepæ recumbunt,
Atq; vago lustrant quæsitum lumine Regem,
Molle caput fultum stipulâ atq; arentibus herbis,
Et proni puerum demisso poplite adorant,
Verum hominem atq; DEUM purâ de virgine natum,
Et tales fundunt ardenti pectore voces.

SALVE, sancte puer, patribus promisse Redemptor:
SALVE, Dux almæ pacis, Rex maxime, SALVE:
Tu sol justiciæ, clarum de lumine lumen,
Illustras radiosq; tuos demittis in illos,
Qui in tenebris errant: Tu Dux fortissimus atq;
Mirandus mundo: Tu Rex summusq; Sacerdos:
Tu germen vitæ: Tu SEMEN VIRGINE natum,
PROMISSUM patribus nostris sub nomine SILOH:
Venisti tandem, tuaq; expectata salutis
Vicit iter durum pietas; ut nostra pericla,
Et duros hominum casus miseratus adires.

Hæc est illa dies, multos celebrata per annos
Abramidûm genti, primiq; parentibus, horto
Expulsis paradisiaco, seroq; nepoti
Sollicitis quondam crebrò exoptata querelis;

Quam veniente die, quam decedente vocabant.

O tenebræ faustæ! nox ô faustiſſima Christi
Auspiciis! solem nobis producere rerum
Quæ valuit, cui nec radiantia lumina phœbi,
Nec nitido certant nictantia sidera cælo!

Hæc nox est nil lucis egens, sed lucis origo:
Quæ VERI sine sole homines, sine lumine mentes
Iusticiæ, radiis incendit Solis, & ipsum
Monstrat iter vitæ, pulsâ caligine falsi.

Chara polo nox, chara solo, nox inclyta, SALVE:
SALVE carminibus vatum celebranda piorum,
Quid dignum splendore tuo, quid honore loquetur
Lingua? tuas vel quo celebrabit carmine laudes?
Non hominis tantum eloquium est, aut copia fandi:
Ulla nec Angelicæ tanta est facundia linguæ;
Dicere digna tuo queat ut præconia honore,
Non aliam à prima nascentis origine mundi
Illuxisse polo noctem, quæ pulchrior esset,
Crediderim, talem toto nec in orbe futuram,
Qualis erat, nova progenies cum virgine nata,
Chara DEI soboles, magnum patris incrementum.

Sed cur postremo mensi te prisca dedere
Secula? cui primæ fas est retulisse salutem
Acceptam; quæ spem felicis rettulit ævi
Nobis, hæc cur non nox anni exordia ducit?
Scilicet exactos quæ nox finire labores
Spondet, & æthereæ promittit munera pacis,
Iure suo finem labanti imponeret ævo.

Verum hæc ipse equidem spaciis disclusus iniquis
Prætereo, atq; aliis post me memoranda relinquo.

At tu pieridum sacris addicta Juventus,
Quæ caput egregias nostris efferre per artes
Niteris auspiciis; patulis hæc auribus hauri,
Devotisq; animis, memoriq; ea mente reponere;

Et quo-

Et quoties festo hoc cava turribus æra sonabunt
Ex altis, celeri Galilæi ad limina templi
Gressu contende: ut mysteria plenius ist hæc,
Guttura quæ ubertim Mystrarum docta sonabunt,
Percipiant animi faciles teneantq; fideles.
Sic puer IMMANUEL cordis penetralia vestri
Scandet, ibiq; sibi gratum cubile locabit;
Viscera læticiâ exhilarans mentesq; serenans.

CHRISTE puer, nostræ spes, portus, & aura salutis;
CHRISTE, graves hominum semper miserate labores;
Quas tibi nunc grates, quæ nam pro munere tanto
Præmia posse rear solvi! qui virgine natus
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Iactatos terris homines, sperare salutem,
Afflictisq; jubes melius confidere rebus.
Tantis pro meritis grates persolvere dignas
Haud opis est nostræ: pulcherrima munera primum
Nostra fides animusq; dabunt: sed cætera tellus
Reddere non potis est. O nunc quoq; Maxime, nobis
CHRISTE, veni auxilio; propius res adspice nostras:
Cernis, ut horrendo miseri jaçtemur in orbe;
Utq; alia ex aliis in tristia fata vocemur;
Præsentemq; Orbi minitentur cuncta ruinam:
Aspicias, & nostro doluisti sæpè dolore;
Non ignare mali miseris succurre benigne:
Accipe vota lubens, votis precibusq; rogatus,
Et parvam hanc, tibi, CHRISTE, sacram, tutare sareptam;
Atq; pios patriæ proceres, sanctumq; Senatum;
Quæis commissa rei civilis publica cura;
Pelle luem & morbos nostrâ clementer ab urbe,
Quæq; insueta premit cunctas penuria terras
Annonæ, atq; trucis gliscentia prælia Martis;
Iusta laboriferi tribuantur ut otia Musis,
Et tibi, sicut apes, cælestia mella paremus,

Atq;

Atq; DEO grates alternâ voce canantur
In celebri cętu sacrorum: & præmia laudum
Pro meritis resonet vox nostra, & solvat honores;
Hic ubi MATTHIAS regni quatit aurea sceptrâ,
Imperii Dominus; quem nostris prospera fata
Incolumem studiis in secula longa reservent.

Et quoniam veterem, pie CHRISTE, implevimus annum,
Incipiuntq; novâ serie procedere Menses:
Fac reliquum tempus felici fidere currat;
Et felix ineat, felicior exeat annus,
Semper & is melior, te fortunante, recurat.

F I N I S.



*Id 4212.
8.*


ULB Halle 3
002 391 589



So

Me
vom







MIUM
NOCTIS,
ILLIUS DEI,
EL NOSTER
, natus est:
JUVENTUTI
HOLA
ICENSI
P.
natalitijs
A
THEODORO,
RLIC.
c l o l o c x v i i .
(H) 60
RLICI
Johannes Rhamba.

10
39
10

